



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De prouidentia, siue prudentia, in agendis. IV

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

de eis recogitant. In vita sua aliquid esse videbantur, & modo de illis tacetur.

6. O quàm citò transit gloria mundi! Utinam vita eorum scientiæ ipsorum concordasset, tunc bene studuissent & legissent. Quàm multi pereunt per vanam scientiam in seculo, qui parum curant de Dei seruitio? Et quia magis eligunt magni esse quàm humiles, ideo euanescent in cogitationibus suis. Verè magnus est, qui magnam habet charitatem. Verè magnus est, qui in se paruus est, & pro nihilo omne culmen honoris ducit. Verè prudens est, qui omnia terrena arbitratur vt stercora, vt Christum lucrifaciat. Et verè bene doctus est, qui Dei voluntatem facit, & suam voluntatem relinquit.

Eccle. 2.

Tit. 1.

Rom. 1.

Matth. 13.

&amp; 23.

Phil. 3.

## CAPVT IV.

*De prouidentia, sive prudentia, in agendis.*

1. Non est credendum omni verbo nec instinctui: sed cautè & longanimiter res est secundum Deum ponderanda. Proh dolor, saepe malum facilius, quàm bonum de alio creditur & dicitur: ita infirmi sumus. Sed perfecti viri non faciliè credunt omni enarranti; quia sciunt infirmitatem humanam ad malum procliuem, & in verbis satis labilem.

1. Ioan. 4.

Gen. 3.

Iacob. 3.

Prou. 19.

Prou. 17.

Eccl. 19.

Prou. 12.

2. Magna sapientià, non esse præcipitem in agendis, nec pertinaciter in propriis stare sensibus. Ad hanc etiam pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere, nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere. Cum sapiente & conscientioso viro consilium habe; & quare potiùs à meliore instrui, quàm tuas adinventiones sequi. Bona vita facit hominem sapientem secundum Deum, & expertum in multis. Quanto quis in se humilior fuerit, & Deo subiectior; tanto in omnibus erit sapientior & pacatior.

Prou. 15. &amp;

Eccl. 1.

## CAPVT V.

*De lectione sanctarum Scripturarum.*

Veritas est in scripturis sanctis quærenda, non eloquentia. Omnis scriptura sacra eo spiritu debet legi, quo facta est. Quærere potiùs debemus utilitatè in scripturis, quàm subtilitatem sermonis. Ita libenter deuotos & simplices libros legere debemus, sicut altos & profundos. Non te offendat auctoritas scribentis, vtrum parua vel magna literaturæ fuerit, sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum. Non quæras, quis hoc dixerit, sed quid dicatur attende.

Rom. 15.

1. Cor. 2.